GER. IO. VOSSII

ELEMENTA

Rhetorica.

Accessit compendium doctrinæ *A. Talæi*. De *Tropis* & *Figuris*.

GLASGUÆ,
Typis, *Roberti Sanders*, Unjus è Typographis *Regis*. 1696.

NATIONAL LIBRARY OF SCOTLAND
B
12 JN
1978

ELEMENTA RHETORICA.

RHetorica, quæ Latinis Oratoria dicitur, nomen habet à ῥέω, i. *dico*. Quia ut Grammatica monstrat viam benè sive purè loquendi: ita Rhetorica docet bene dicere, sive prudenter, copiosè, ornatéque loqui.

Definitur Rhetorica facultas videndi in unaquaque re, quid in eâ est ad persuadendū idoneum. Itaque finis Oratoris ultimus est persuadere: officium est videre, quid ad persuadendum conducat: sive dicere ad persuadendum accommodate.

Materia est unaquæque res, sed inprimis quæstio civilis.

Quæstio ea, vel thesis est, vel hypothesis.

Thesis est quæstio infinita, sive universalis ut, *An liceat insidiatorem interficere.*

Hypothesis est quæstio finita sive singularis, Ut *An jure Milo interfecerit Clodium.*

Officii oratorii partes sunt quatuor: argumenta invenire, inventa disponere, disposita exornare, & exornata pronunciare. Ac pro his totidem sunt partes Rhetorices, Inventio, Dispositio, Elocutio & Pronunciatio.

DE INVENTIONE.

INventio est excogitatio argumentorum quæ ad persuadendum idonea sunt.

Argumenta sunt triplicia, Rationes, Mores,

& Affectus: quæ Græcis vocantur λόγοι, ἤθη & πάθη. Ex his, rationes ad docendum, mores ad conciliandum, affectus ad permovendum valent.

Argumenta primi generis, vel artificialia sunt, vel inartificialia. Artificialia dicuntur, quæ ab Oratore artis beneficio inveniuntur.

Ea variant pro generibus hypotheseon, quas Latini *Causas* vocant.

Causarum genera sunt tria, Demonstrativum, Delibetativum, & Juridiciale.

Demonstrativum est, quo laudamus, aut vituperamus. Ac præcipuè respicit tempus præsens.

Laus, ac vituperatio omnis, vel personæ est, vel facti, vel rei.

Personæ, ut, si laudes Ciceronem, vituperes Antonium.

Facti, ut, si laudes voluntarium M. Reguli ad hostes suos reditum: aut si vituperes in Catone Uticensi, quòd manus sibi intulerit, ne in potestatem Cæsaris veniret.

Rei, ut, si laudes eloquentiam, vel agriculturam: aut vituperes vitium animi ingrati.

Argumenta in hoc genere præcipue petuntur ab honesto, ac turpi.

Genus deliberativum est, quo suademus vel dissuademus. Ut, si suadeas pacem, vel inducias; dissuadeas bellum, vel contrà. Est deliberatio omnis de futuris. Ac præcipuè in eâ consideratur, ecquid utile sit, an inutile.

Genus

Genus Juridiciale est, quo accusamus, vel defendimus. Quomodo Milo, interempto Clodio, ab amicis Clodii est accusatus, à Cicerone vero defensus.

Versatur hoc genus circa præterita.

Variant autem argumenta in eo pro statuum diversitate.

Status est quæstio ex primâ causarum profectione proveniens. Ac in genere juridiciali nascitur ex primâ accusatoris intentione, & defensoris depulsione.

Ita accusabatur Milo, quòd Clodium occidisset: Milo interemptum fatebatur; sed jure occisum aiebat. Status igitur fuit, jurène, an injuriâ Clodium interemerit Milo.

Status est quadruplex, Conjecturalis, Finitivus Qualitatis, & Quantitatis.

Conjecturalis est, quo quæritur ecquid factum sit, necne. Ut, *An Sextus Roscius occiderit patrem suum.*

Finitivus est, quo de nomine rei quæritur; ut *Abstuli quidem, sed furtum non commisi.*

Ubi furtum erit definiendum. Atque ita in aliis.

Qualitatis est, quo quæritur; quale sit factū, ut, *Occidit quidem Clodium Milo, sed jure id fecit.*

Ubi legibus probandū erit, quid jure, quidve injuriâ fiat.

Quantitatis status est, quo de magnitudine rei disceptatio est. Ut, *Si constet esse crimen, sed negetur grave esse crimen.* Ubi amplificatio, & im-

imminutio facti inprimis attenditur. Videndū igitur quid magnum aut exiguum oporteat censere.

In singulis autem causarum ac statuum generibus, locum habet τὸ δυνατὸν, sive quid fieri possit, aut non possit : item comparatio, sive quid sit honestius, utilius, aut justius.

Artificialibus argumentis accedunt in artificialia, quæ foris delata, ab oratore solùm arte tractantur, ut inprimis sunt testimonia.

Sequuntur πάθη sive Affectus, quos Deus animis nostris indidit; ut sint tanquam stimuli ad honestas actiones.

Sunt hi, ex Stoicorum sententiâ quatuor : ratione boni præsentis, *lætitia* : ratione boni futuri, *spes* : ratione mali præsentis, *dolor* : ratione mali futuri, *metus*.

Ad hos autem referuntur, ira lenitas ; pudor, impudentia, amor, odium, indignatio, invidia, misericordia, & æmulatio.

In quorum singulis attendere inprimis oportet, & quomodò affectus is moveatur, & quomodò sedetur.

Supersunt Mores : qui hîc spectantur, quatenus ex oratione dicentis elucent.

Quò morata fit oratio, ante omnia id agendum est Oratori, ut in eâ reluceant prudentia, probitas, & benevolentia. Nam facilè iis credimus, qui & rem intelligunt, & benè nobis cupiunt.

Præterea illi videndum est, apud quos dicat,

cat, & de quibus dicat. Variant enim mores hominum, tum pro naturâ gentis ac Reip. tum etiam in singulis pro ratione affectuum, habituum, ætatis, ac fortunæ. Hactenus de Inventione.

DE DISPOSITIONE.

SEquitur Dispositio, quæ est partium orationis idonea ad persuadendū collocatio.

Partes Orationis sunt, Exordium, Narratio, Propositio, Confirmatio, Confutatio, Peroratio. Quarum prima, & ultima inprimis ad animos movendos; cæteræ magis ad docendum valent.

Unde vulgaris versiculus, *Exorsus narro, seco, firmo, refuto, peroro.*

Exordii præcipuum munus est præparare auditorem ad reliquam dictionem.

Quod fit reddendo eum benevolum, attentum & docilem.

Quando aperte hoc agimus ἀρχὴ, sive *Principium*, dicitur: sin idem occultè fiat, vocatur *Insinuatio*. Græce ἔφοδος.

Laudantur exordia ex causâ ipsâ velut nata: item modesta, ac verecunda.

Cavenda autem sunt ea, quæ nimis longè petita: item communia nobis, & adversario, vel facilè commutabilia vel nimis magnifica.

Narratio rem gestam, ut gesta est, à principio usq; ad finem exponit.

Ea interdum tota continuatur: interdum partes ejus singulatim explicantur, & amplificantur.

Nar-

Narratio esto perspicua, ut intelligatur: verisimilis, ut credatur: suavis, ut libenter audiatur. Esto & brevis, quia tædio erit, si ulteriùs producatur quàm opus est.

Propositio summā totius orationis proponit. Quæ si orationem in partes dividat, *Partitio* appellatur.

Partitio cùm perspicua, tum etiam brevis esse debet; hoc est, non major, quàm trium, vel ad summum quatuor partium.

Contentio, quam Aristoteles πίστιν appellat, continet Confirmationem & Confutationem.

Confirmatio, argumentando causam nostram adstruit.

Confutatio diluit argumenta adversarii.

Epilogus seu Peroratio, est totius orationis clausula.

Duplex autem ejus munus est. Prius anacephalæosis, sive enumeratio potissimorum argumentorum. Alterum, Pathopœïa, sive commotio affectuum. Nunc ad Elocutionem veniamus.

DE ELOCUTIONE.

ELocutio alia philosophica est, alia oratoria, alia historica, alia poëtica.

Elocutio oratoria est, rerum inventarum & dispositarum, per verba sententiasque expositio ad persuadendum idonea.

Elocutionis præcepta, vel generalia sunt; vel ad hanc illámve materiam, ac characterem restricta Elocu-

Elocutio communis dividitur in Elegantiam, Dignitatem, & Compositionem.

Elegantia efficit, ut unumquodq; tum pure, tum perspicue dicatur.

Ad puritatem opus est delectu verborum, Vitanda igitur verba barbara, Nec indulgendum antiquatis, aut inusitatis. Sordida etiam & obscœna, honestis verbis circumloqui oportet.

Perspicuitati inter alia repugnant sermo ambiguus, nimia brevitas, & ordo verborum perturbatus.

Dignitas suppeditat orationi picturas, sive verborum sententiarumque lumina quæ Rhetores vocant *Tropos* & *Schemata*.

Tropus est vocis à propriâ significatione in aliam cum virtute immutatio.

Fit autem inversio significationis quadrifariam ac pro eo quatuor etiam sunt tropi primarii, *Metaphora*, *Metonymia*, *Synecdoche*, & *Ironia*.

Metaphora sive translatio, est tropus, quo verbum à propriâ significatione in alienam transfertur ob similitudinem.

Itaq; tria hîc spectantur, significatio propria, aliena, & similitudo. Ita *scrupulus* proprie dicitur lapillus in calceos viatorum incidens Improprie ita vocatur solicitudo ac dubitatio Similitudo in eo consistit, quod ut lapillus ille pedibus, ita solicitudo animo molestiam parit.

Nullus autem tropus plus luminis adfert o-

rationi: inprimis si ad sensus ipsos admoveatur, maximè oculorum, qui sensus est acerrimus, ut, *Splendor verborum, studia florent, videre* pro *intelligere*, & similia.

Metonymia est tropus, quo causa externa ponitur pro effectu: vel subjectum pro adjuncto: vel antecedens pro consequente, aut contrá. Itaq; sex in universum sunt Metonymiæ species, seu modi.

1. Ponit pro effectu causam externam, eamq; vel efficientem, ut *Mars* pro prælio: *Livius* pro scriptis *Livij*; *lingua* pro sermone: *manus* scriptura: vel finalem: ut *statuere exemplũ*, *h. e.* infligere pœnam, quæ cæteris sit documento. Sic Maro, 1 Æneid. *Aut supplex aris imponat honorem*, hoc est, victimam.

2. Alter modus est effecti pro causâ externa: eaq; vel efficiente, ut *Pallida mors*, quia pallentes facit: *Ira cæca*, quia homines efficit cæcos: vel finali, ut *Serta mihi Phyllis legeret*, pro floribus.

3. Est subjecti pro adjuncto. Quò refer cùm ponitur continens pro contento, ut, *Roma*, pro Romanis, *Patera* pro vino. Item cum possessor ponitur pro re possessâ. Ter. Heaut. *Quid te futuram censes quem assiduè exedent?* i. cujus opes consument. Virg. 2. Æn. *Jam proximus ardet Ucalegon* i. domus Ucalegontis. Item dux pro militibus: ut, *Cæsar* pro exercitu, aut *Patronus* pro cliente: ut, *Nego me restitutum*, h. e. clientem meum. Item signatum

pro

pro ſigno, ut, *Jupiter* pro Jovis ſtatuâ, *Orpheus* pro Orpheo picto, aut cæſato.

4. Modus eſt adjuncti pro ſubjecto. Velut cùm contentum ponitur pro continente, ut, *vina coronant*, pro pateris: aut ſignum pro ſignato, ut, *faſces & ſecures*, pro imperio conſulari. *Toga* pro pace.

Huc refer, cum tempus ponitur pro re quæ eſt in tempore, Cic. *Hujus ſeculi inſolentia*. Id. *O tempora! O mores!*

Vulgò & eôdem referunt, cùm virtutes & vitia ponuntur pro perſonis ipſis, ut, *ars* pro artifice; *luxuries* pro luxurioſo.

5 Modus eſt cùm antecedens pro conſequente ponitur; ut, *vixerunt* pro *mortui ſunt*: *diſcumbere* pro *cænare*.

6. Modus eſt, conſequentis pro antecedente, ut, *Funus* pro morte.

Synecdoche eſt, cùm totū ponitur pro parte aut pars pro toto. Ea fit ſex modis. 1. Modus, cum genus, quod eſt totum univerſale, ponitur pro ſpecie: ut, *Prædamque ex unguibus ales projecit fluvio* Virg. pro aquila, Sic, *Tollit ſe arrectum quadrupes*, pro equo.

Alter modus, cum ſpecies contra uſurpatur pro genere, ut, *Auſter* vel *Aquilo* pro vento quolibet. *Falernum* pro quovis vino præſtanti, *Telum* pro quibuſvis armis, *Mel Hymetrium* pro quovis melle. *Spica Ciliſſa* pro quovis croco.

3. Cum toto eſſentiali, quod conſtat materiâ

riâ & formâ, utimur pro solâ materiâ aut formâ, ut, *Sustulerunt Dominum meum, nec scio ubi posuerint eum*, id est Domini mei Jesu corpus.

4. Cùm contra pars formalis aut materialis ponitur pro toto essentiali. Ita formæ Synecdoche est; *Candida anima*, pro homine candido Materia autem, *Aurum, argentum, æs*, pro pecunia: *ferrum* pro gladio: *avena* aut arundo, pro fistulâ ex avenâ aut arundine confectâ, Sic *Gemmâ bibere, dormire ostro*, vulgò Metonymiam materiæ appellant.

5. Modus cùm totum integrale sumitur pro parte. Virg. 1. Æn. *Pabula gustassent Troja, Xanthumque bibissent*, pro parte pabuli, parte Xanthi.

6. Modus, cum contrà pars integralis ponitur pro toto: ut, *Lepidum, vel ridiculum caput*, pro homine lepido aut ridiculo. Sic, *puppis* pro navi, *mucro* pro gladio, *tectum* pro domo.

Ad quintum sextumque modum refer cum numerus singularis ponitur pro plurali, aut pluralis pro singulari, aut denique certus pro incerto. Liv *Romanus prælio victor*. Ovid. *Pulchra verecundo suffundens ora rubore*. h. e. os sive vultū. Cic. *Sexcenta licet ejusmodi proferre*.

Ironia est tropus, quo intelligitur contrarium ejus quod dicitur: Ter. *Id populus curat scilicet*! Id. *Adesdum, bone vir*. Sic *Penelope* de impudicâ: *Cato* de stolido. Atque hi tropi sunt primarii.

Troporum autem species sunt Metalepsis, Antonomasia, litotes. Meta-

Metalepsis (Latine *transumptio*) vocatur, cùm antecedens ponitur pro consequente, aut contrà: estque species Metonymiæ, ut superius dictum est. At aliud est Metalepsis, cùm affectio tropi est, ut posteà dicetur.

Antonomasia est Synecdoches species, quâ proprium sumitur pro communi: vel contrà Prioris modi est, *Irus* pro paupere, *Thersites* pro deformi. *Cato* pro sapiente, *Mœcenas* pro doctorum patrono. Alterius modi est, *Parens* pro patre, *Philosophus* pro Aristotele, *Urbs* pro Roma, *Poëta* pro Homero, vel Virgilio: *Apostolus* pro Paulo.

Huc refer periphrasin non reciprocam: ut, *Trojani belli scriptor* pro Homero.

Litotes, quam extenuationem Latinè dixeris, fit cum minus dicitur, & plus intelligitur: unde Synecdochæ subjici posse liquet, Virg. *Munera nec sperno*, i. lubens accipio. Ter. *Non laudo*, i. reprehendo.

Affectiones troporum præcipuæ sunt Metalepsis, Allegoria, Catachresis, Hyperbole.

Metalepsis est tropus multiplex in voce unâ: sive, gradatim ex una significatione procedens in alienam. Virg. *Post aliquot mea regna videns, mirabor aristas. Aristas* pro spica. *spica* pro messe, *messis* pro anno: eóque & *aristæ* pro *anno*.

Parturiunt montes; nascetur ridiculus mus. Horat. de magnâ expectatione, sed in ludibrium abeunte.

Allegoria est tropi in vocibus pluribus continuatio, Virg. *Claudite jam rivos pueri; sat prata biberunt*, i. desinite canere, quia satis audivimus.

Catachresis, sive Abusio, est tropi duricies quædam, ut cum vox aliqua licentiùs à propria significatione ad aliam deflectitur: velut *gurges & vadum pro mari*. Virg. *Instar montis equum divina Palladis arte*,

Ædificant, *ædifico propriè est ædes*. Hor. *Breve lilium*, *pro non diuturnus*.

Hyperbole est oratio augendo vel minuendo superans fidem.

Augendo: ut, *nive candidior*, *melle dulcior ocior Euro*. Cic. *Vomens*, *frustis esculentis gremium suum*, *& totum tribunal implevit*.

Minuendo: ut, *testudine tardior*, *minus nihilo*.

Ad tropos quoque vulgò, sed falsò referuntur sex species irrisionis, Sarcasmus, Diasyrmus, Charientismus, Asteismus, Mycterismus, & Mimesis.

Sarcasmus est hostilis irrisio super jam mortuo, aut certò morituro, Matth. 27, *Ave Rex Judæorum*. Virg. *I nunc*, *& verbis virtutem illude superbis*.

Diasyrmus est inimica irrisio, sed extra cædem, ut, *Asinus ad lyram*. Virg. *Interstrepit anser olores*.

Charientismus est jocus cum amœnitate mordax: ut Davus pistrinum deprecans, *Bona verba quæso*, Sic, *Di meliora*. Asteis-

Asteismus est joeus urbanus. Virg. *Qui Bavium non odit, amet tua carmina Mævi*. Nam Bavius malus poëta, & illo deterior Mævius erat.

Mycterismus fit, cum naso suspenso quempiam subsannamus.

Memesis, Latinè *Imitatio* refert aliena verba oratione directâ, idque fere ad risum, Ter. *At ego nesciebam, quorsum tu ires : Parvula hinc est abrepta, eduxit mater pro suâ : Soror est dicta ; cupio abducere, ut reddam suis.*

Huc etiam referri solent, quæ ad Grāmaticen potius quam Rhetoricen pertinere videntur: idque vel ad Etymologiam, ut Onëmatopœïa & Antiphrasis, vel ad Syntaxin: ut Hypallage.

Onomatopœïa nominis fictio à sono: ut *Balare, grunnire, boare, hinnire.*

Antiphrasis est vox à contrario dicta. Ita vulgò aiunt *bellum* vocari quòd minimè sit bellum ; *Parcas* quòd minimè parcant, *lucum* quòd minimè luceat.

Hypallage est cùm rerum ordo invertitur. *Gladium vaginâ vacuum in urbe non vidimus*, pro vaginam gladio vacuā. *Brutium ponto feriente Corum* : id est. Coro Brutium pontum feriente. Seneca in Thyeste.

DE SCHEMATIBUS.

ALtera dignitatis oratoriæ pars in Schematibus sive figuris versatur.

Est vero Schema, forma orationis, qua

hæc alio quopiam modo, quàm inversione significationis, à vulgari consuetudine immutatur in meliorem.

Schemata sunt duplicia: verborum, & sententiarum: Græcis Λέξεως καὶ Διανοίας.

Verborum Schemata sunt triplicia: quædã consistunt in subticentia, sive defectu, quædam in excessu, quædam in reliquo corpore orationis.

Subticentia figurantur Ellipsis, & Asyndeton.

Asyndeton copulæ est defectus. Virg.

Ferte citi flammas, date velu, impellite remos.

Ellipsis verò est aliûs partis aut particulæ defectus. Virg. *Sed vos qui tandem?* omittitur, estis.

Excessu figurant orationem Pleonasmus, & Polysyndeton.

Polysyndeton est abundantia copulæ, Cic. *Me præ cæteris & colit, & observat, & diligit.*

Pleonasmus est aliûs partis, aut particulæ abundantia. Virg. *Vocém que his auribus hausi.* Schemata quæ in reliquo fiunt corpore orationis, vel eandem ponunt vocem vel similem.

SCHEMATA.

Quibus eadem vox repetitur.

Anatanaclasis est, cùm usurpatur vox eadem appellatione, non significatione. Cornificius: *Cur eam rem tam studiosè curas, quæ multas tibi dabit curas?* Idem. *Amari jucundum est, curetur, ne quid insit amari,* Ter. Phor: *Ego*

co

cognatum dicam, & tibi ſcribam dicam.

Huc pertinet Ploce cùm vox uno loco perſonam aut rem; altero mores, aliamve qualitatem ſignificat, ut, *Ad illum diem* Memmius *erat* Memmius, id eſt ſui ſimilis: *Simia eſt ſimia, etiamſi aurea geſtat inſignia.*

Synonymiæ eſt cum verba idem ſignificantia conjunguntur. Cic. *Abijt, exceſſit, evaſit, erupit.* Id, *Promitto, recipio, ſpondeòque.*

Exergaſia ſive Expolitio, eſt congregatio ſententiarum idem ſignificantium. Cic. *Quid enim tuus ille. Tubero, in acie Pharſalicâ gladius agebat? cujus latus ille mucro petebat? Quis ſenſus erat armorum? tuorum? Quæ tua mens, oculi, ardor animi? Quid cupiebas? Quid optabas?*

Anaphora eſt repetitio ejuſdem vocis in principio. Virg.

Te dulcis conjux, te ſolo in littore ſecum:
Te veniente die, te decedente canebat.

Epiphora, ſive Epiſtrophe eſt repetitio ejuſdem vocis in clauſulis. *Pœnos populus Rom: juſtitiâ vincit, armis vincit liberalitate vincit.*

Quod ſi Anaphora & Epiphora concurrant, Symploce vocatur. *Quis legem tulit? Rullus. Quis majorem populi partem ſuffragiis privavit? Rullus. Quis comitijs præfuit? Idem Rullus.*

Epanalepſis eſt repetitio ejuſdem vocis in initio præcedentis, & fine ſequentis ſententiæ Ovid. *Qui bibit inde furit: procul hinc diſcedite queis eſt.*

Cura bonæ mentis, qui bibit inde, furit.

Ana-

Anadiplosis est repetitio in fine præcedentis, & initio sequentis sententiæ. Virg.

Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum,
Astrum quo segetes gauderent frugibus.

Epanados est, cum quæ priori erant posita ea loco posteriori & quæ posteriori, priore loco reperimus, Ovid.

Demophoon ventis & verba, & vela dedisti.
Vela queror reditu, verba carere fide.

Epizeuxis est, cum vox aliqua repetitur cum vehementia. Virg.

Ipsa sonant arbusta, Deus, Deus ille Menalca.

Cic. *Crux, Crux inquam, infelici & misero.*

Climax, *seu*, gradatio, eodem verbo connectit superiora inferioribus. Cornific *Africano industria virtutem, virtus gloriam, gloria æmulos comparavit.*

Polyptoton cum idem verbum variato repetitur casu, i. terminatione. Cic. *Sed pleni sunt omnes libri, plenæ sapientum voces, plena exemplorum vetustas. Littora littoribus contraria. fluctibus undas, Imprecor, arma armis, pugnent ipsique nepotes.*

SCHEMATA.

Quæ repetunt voces similes.

Paregmenon conjungit voces, quarum una ab altera derivatur. Ovid.

Tu quoque Pieridum studio studiose teneris:
Ingenioque fuves, ingeniose meo.

Paronomasia, *sive* agnominatio est, cùm parva verbi immutatione in aliam planè sententiam deflectitur oratio. Seneca. Nun-

Nunquam satis dicitur, quod nunquam satis discitur. Cato: *Cùm cuidam dixisset: Eamus deambulatum; ait ille. Quid opus est de? Imo verò, inquit, quid opus est te?*

Homœoptoton *sive* similiter cadens est, cùm plura ijsdem casibus efferuntur. Cic. *Est idem Verres, qui fuit semper, ut ad audendum projectus, sic paratus ad audiendum.*

Homœoteleuton *sive* similiter desinens est, cum cola aut commata eodem sono terminantur: Cic *Ut ejus semper voluntatibus non modò cives assenserint, socij obtemperârint, hostes obediêrint, sed etiam venti tempestatésque obsecundârint.*

Parechesis est, cum una, pluréve syllabæ vocis antecedentis, in aliâ ejusdē membri repetuntur. Plaut. *Palla pallorem incutit.* Cic. *O Fortunatam natam me consule Romam!*

SCHEMATA SENTENTIÆ.

SChemata sententiæ, alia ad inventionis alia ad dispositionis ornatum adhibentur. Primùm videamus de iis quæ sunt inventionis.

Prolepsis sive Occupatio est, cùm id quod ab adversario objicitur, aut objici posse putamus, anticipamus, atque diluimus.

Partes ejus sunt duæ: Hypophora, quæ objectionem proponit, & Anthypophora, quæ objectioni respondet. E. g. Objectio est in illo Didonis Æn. 4. *Verùm anceps pugnæ fuerat fortuna.* At Anthypophora est. *Tuisset. Quem metui moritura.*

Pro-

Prolepsi similis est Hypobole, sive subjectio, quâ multa, quæ pro adversario dici possunt, breviter & minutatim proponuntur; atque ad singula breviter item respondetur Cic. *Malè judicavit populus: at judicavit. Non debuit: at potuit. Non fero: at multi clarissimi & sapientissimi cives tulerunt.*

Communicatio ἀνακοίνωσις est, quâ adversarium consulimus; aut cum judicibus, quid faciendum sit quidve factum oportuerit, deliberamus. Cic. *Quæro, si te hodie domum tuam redeuntem coacti homines & armati, non modo limine, tectoque ædium tuarum sed primo aditu vestibuloque prohibuerint, quid acturus sis?*

Confessio παρομολογία est, cum callidè omnia adversario permittimus. Cic. *Habes igitur Tubere (quod accusatori maximè optandum) confitentem reum, sed tamen ita,* &c.

Concessio est, cùm aliquid largimur adversario, ut reliquū seramus. Virg.

Non debitur regnis (esto) prohibere Latinis:
At trahere, atq; moras tantis licet addere rebus.

SCHEMATA.

Quibus ad explicandum, aut exaggerandum utimur.

Gnome, sive sententia, est generale pronunciatum earum rerum, quas in agendo sequimur, aut fugimus.

Noëma sive cogitatum, est allusio ad sententiam, sive sententia personæ accommodata.

E. g. Gnome est, *Nihil est tam populare quam*

bo-

bonitas. At Noëma est, cum Cicero Cæsari hoc accomodat pro Ligar *Nihil habet nec fortuna majus, quàm ut possis, nec natura tua melius quàm ut servare velis quàm plurimos.*

Merismos sive distributio est, cum totum in species, aut partes diducimus. Lycurgus apud Rutilium Lupum: *Cujus omnes corporis partes ad nequitiam sunt appositissimæ: oculi ad petulantem lasciviam & manus ad rapiram, venter ad aviditatem,* &c.

Æiologia est, cum in narrando facti ratio adjicitur Eleganter autem fit cum gradatione. Ovid. *Viderat hanc, visamq; cupit potiturq; cupitâ.*

Quod si causa sit magis speciosa, quàm vera, Color dicitur.

Diatyposis est, cum res ita clarè copioséque exponitur, ut coràm spectari videatur. Quomodo Cicero in Milonianâ describit apparatū Milonis & Clodii: illius in rheda confidentis ac penulati, hujus in equo & cum delectis, villa egredientis, ac pugnantis è loco superiore, &c. Quod si simplicior dilutiorque fuerit descriptio, Hypotyposis vocatur. Virg.

Constitit in digitos extemplò arrectus uterque,
Brachiaque ad superas interritus extulit auras.

Sed vulgò Diatyposis & Hypotyposis pro eodem Schemate habentur.

Icon, sive imago; est assimilatio protasi & apodosi carens, facta per particulam *similis, velut tarquam, instar, quasi* aut aliam hujus generis. Virg *Os humerosque Deo similis.* Cic. Re-

pente enim te, tanquam ſerpen. è latibulis, ocu eminentibus, inflato collo, tumidis cervicibus i tuliſti.

Paradigma ſive exemplum eſt, cum factum ſive actus aliquis commemoratur, ut eo oſten datur, aliquem vel ſimile facturum, vel facer debere ut *Periculum eſt ne, quemadmodum Ma rij & Syllæ diſſidium, ita Pompeij & Cæſaris l ceret Rempublicam.*

Parabola ſive Comparatio eſt, cum ad illu ſtrandum id, de quo ſermo eſt, petitus ſimil tudo ab iis, quæ fuêre, fiunt, aut natura, caſu ve rebus inſunt. Virg.

Qualis mugitus, fugit cum ſaucius aram.
Taurus, & incertam excuſſit cervice ſecurim

Symbole ſive Collatio eſt, quando ſubſtan tiam cum ſubſtantia: aut accidens cum acci dente conferimus ut ex oppoſitione hac pat at quantopere conveniant aut differant; ut conferas Alexandrum & Cæſarem; oleam vitem.

Paradiaſtole, Latine *Sejunctio*, eſt, cum di ſtinguuntur ea, quæ eandē vim habere vide tur. ut *Non ſapiens, ſed aſtutus, Premitur virtu non opprimitur.*

Antimetatheſis ſive Commutatio vocatur quando eſt contrarietas ſenſus cum verborum immutatione, ut:

Eripis, ut perdas, perdis, ut eripias.
Eſſe oportet, ut vivas; non vivere ut edas.

Antitheton eſt ex contrariis conſtans orati

Fle-

Flectere si nequeo superos, Acheronta movebo.

Oxymeron est, cum idem negatur de seipso.

Ter. *Tu pol, si sapis, quod scis, nescis.*

Cic. *Cùm tacent, clamant.*

Parecbasis sive Digressio est alicujus rei, quæ tamen ad utilitatem causæ pertineat, extra ordinem excurrens tractatio. Qualis illa de laudibus. Cn. Pompeii in orat. pro Balbo.

Epiphonema, sive acclamatio est, cum rei narratæ, aut probatæ, velut coronis, adjicitur pronunciatum ex superioribus expressum.

Virg *Adeo à teneris adsuescere multum est.*

Auxesis est, cum utimur verbo excedente rei magnitudinem: ut apud Ter. *Sacrilega & venefica*, pro improba. *Scelus* pro errato.

Tapinosis est, cum verbo humiliore, quàm pro re, utimur, ut, *Erratum* pro scelere. *Severus* pro crudeli.

Paralipsis est cum præterire nos velle dicimus quod interim in transcursu dicimus. Cic. pro Cluent *Mitto illam primâ libidinis iniuriam, mitto nefarias generi nuptias, mitto cupiditate matris expulsam matrimonio filiam.*

Incrementum est, cum velut gradibus quibusdam pervenitur ad summū. Cic. *Facinus est vincire civem Romanum scelus verberare, propè paricidium necare, quid dicam in crucem tollere?*

Periphrasis est, quâ rem unam multis ambimus verbis, ut *Romanæ eloquentiæ parens*, pro Cicerone. Item ire ad requisita naturæ.

Excla-

Exclamatio est oratio, in qua interjectio expressa, aut intellecta, indicat animi affectū. Unde & pronunciatio intenditur ad significandam rei magnitudinem. Cic. *O clementiam admirabilem, atque omni laude, prædicatione, litteris, monumentisque decorandam!*

Idem *O scelus! O pestis! O labes!*

Aporia sive Dubitatio est, cùm dicimus nescire nos, quid dicere vel agere debeamus. Virg. 3. Æn. *Et quar? an fileam?*

Epanorthosis Correctio est, quæ tollit id quod dictum est, & pro eo, quod magis idoneum videtur, reponit. Cic. *Quas ille leges, si modo leges nominandæ, ac non faces urbis, & pestes Reipublicæ.*

Aposiopesis est cum ita abrumpitur oratio, ut vix appareat, quid dicturus quis fuerit. Virg.

Quos ego? Sed motos præstat componere fluctus.

Sermocinatio est, cum sermo affingitur personæ, quæ præsentis sit instituti. Cujusmodi sunt orationes multæ apud historicos & poëtas.

Prosopopœia sive personæ effictio est, cum rebus mutis sermonem tribuimus, aut vita defunctos tanquam vivos, aut absentes tanquā præsentes, inducimus loquentes: ut cum apud Cic. Appius Cæcus excitatur ad Clodii libidinem objurgandam.

Erotema seu Interrogatio est, quando ubi recta oratione uti licebat, sermonem inflectimus.

Virg.

Virg. *Non ego te vidi Damonis peſſime caprum Excipere inſidiis? multũ latrante Lyciſcâ.*

Apoſtrophe eſt cum ſermonẽ aliò avertimus, quam inſtituta oratio requirit. Cic. *Vos enim Albani tumuli, atque luci, vos, inquam, imploro, atq; obteſtor.* Virg. *Muſa, mihi cauſas memora.*

Atq; hæc de Schematibus, quibus Inventio exornatur.

SEQUUNTUR.

Schemata quæ ornant Diſpoſitionem.

Metabaſis ſive tranſitio eſt, cum inſeritur aliquid orationi, ut ab eo, quod diximus, tranſgrediamur ad illud, quod ſupereſt. Cic. *Quoniam de genere belli dixi; nunc de magnitudine pauca dicam.* Virg. *Hactenus arvorum cultus, & ſidera cæli; Nunc te Bacche, canam.*

Apodioxis eſt, cum aliquid in alium locum, vel tempus rejicitur. Cicero. *Sed de Lucullo dicam alio loco,* &c.

Revocatio eſt, cum, quia longiores aliquâ in re fuerimus, orationem ad principium revocamus: ut *Hac de re quid attinet dicere? erit aliâs opportunior dicendi locus.*

De Tropis & Schematibus vidimus.

DE COMPOSITIONE.

COmpoſitio eſt idonea verborum, ſententiarumque ſtructura.

Complectitur ea Juncturam, Ordinem, Periodum, & Numerum.

Junctura præſtat, ut oratio ſit lenis, & mollis, aut ſonora, ac grandis

Atque hîc præcipitur, ut caveatur crebra vocaliu n concurſio; ejuſdem literæ, vel ſyllabæ in initio aut fine frequentatio: continuatio plurium ſyllabarum brevium vel longarum.

Ordo exigit, ne inconcinna fiat verborum trajectio: item, ut creſcat oratio, nec graviori id, quod levius eſt, ſubjiciamus: item ne turberur naturalis ordo; eoque potius dicamus, *viros, ac fœminas, diem ac noctem, ortum & occaſum*, quàm ordine inverſo

Periodus juxta Ciceronem, eſt oratio in eodem quaſi orbe incluſa procurrens, quoad inſiſtat in abſolutâ ſententiâ Eſtque vel ſimplex; vel duorum vel trium: vel ſummum quatuor membrorū, qualis illa pro Cæcinna: *Si quantum in agro, locisque deſertis audacia poteſt, tantum in foro, ac judiciis impudentia valeret; non minus in cauſâ cederet Aul. Cæcinna Sex. Ebutij impudentiæ: quam tum in vi faciendâ ceſſit audaciæ.*

Periodi partes aliæ ſunt majores; quæ Græcis *cola*; latinis *membra* dicuntur; aliæ minores; quæ Græcis *commata*. Latinis vocantur *inciſa*.

Numerus Ciceroni eſt modus quidam orationis, qui è permiſtis & confuſis pedibus, & temporum, quibus conſtant, aptâ ratione naſcitur.

Numerus hic diverſus eſt à Poëtico: à quo abhorret Orator. Multum autem obſervatur in principiis, minus in mediis, potiſſimum autē in clauſulis.

Adhi-

Adhibetur autem hîc aurium judicium, sed præstantium oratorum lectione firmatum.

Atq; ita ut negligentia, ita cura nimis anxia vitanda est.

De triplice Charactere.

QUæ hactenus diximus, universè respiciunt Elocutionem. Nunc videamus, ut ea varietet pro materiâ diversa.

Est autem triplex dicendi Character: magnificus, sive sublimis; humilis, sive tenuis; & mediocris, sive æquabilis.

Sublime dicendi genus potissimum locum habet in rebus magnis, ut de Deo ac Repub. unde in rebus heroicis, ac tragicis præcipuè adhibetur.

Constat gravium, & sublimium verborum ampla [illegible] structura. Metaphoras petit à rebus grandibus. Schemata adhibet vehementiora: ut exclamationes prosopopœias, apostrophas.

Affectibus ciendis idoneum est sit & inflatū:

Vitium ejus est, si *turgidum*
vel insolentia horridum.

Contrà, Humile genus convenit rebus tenuibus. Accontentum est verborum proprietate metaphoris usitatis, item acumine, ac lepôre. Sententiarum schemata parcius usurpat, abstinet amplificationibus, insignioribus numeris, & periodis accuratoribus.

Præcipuè adhibetur in epistolis, & disputationibus philosophicis.

Videndum autem, ne neglectu nimio fiat jejunū & exfangue.

Genus Medium, seu mediocre, in rebus mediis usurpatur. Estque humilius sublimi; sed sublimius humili: eoque nec vehementiora illa schemata amat; nec infimam sequitur dicendi rationem.

Hic inprimis conveniunt paria paribus, contraria contrariis reddita, & casus in exitu similes, & hujus generis alia.

Vitium ejus est *fluctuans* & incertum: quomodò vocatur, si nunc humile genus fugiens, nimis assurgat: nunc, tumidum atq; inflatum vitans humi serpat. Hactenus Elocutio Superest.

PRONUNCIATIO.

PRonunciatio sive Actio est vocis gestúsq; pro rebus, & verbis, apta conformatio. Ejus quasi fundamentum est Memoria, quâ res jam inventas, dispositas, & exornatas firmiter animo comprehendimus. Partes Pronunciationis sunt quæ; una vocem formar, altera corporis motum. A priori munere hæc pars *Pronunciatio*, à posteriori *Actio* vocatur. Quarum tanta est vis in eloquentiâ: ut ijs primas, secundas, & tertias, tribuerit Demosthenes.

FINIS.

EX TALÆO.

De Tropis.

TRopi sunt 4. Metorymia, Ironia, Metaphora, Synecdoche.

Metonymia est quadruplex; Causæ, Effecti, Subjecti, Adjuncti.

Metonymia causæ est, cùm causa ponitur pro effecto: sive causa efficiens, ut *Vulcanus* pro igne, *Mars* pro bello, *Ceres* pro frugibus, *Livius* pro historiâ *Livij*, *Artes Parrhasij* pro statuis arte factis: sive materia, ut *ferrum* pro gladio.

Metonymia effecti est, cùm nomen effecti ponitur pro efficiente, ut *Pallida mors*. Id est pallidum faciens *caca ambitio*. i. e. occæcans.

Metonymia subjecti est quo subjectum pro adjuncto ponitur. Ejusmodi sunt 4. 1. Est cùm locus ponitur pro incolis. Cic. *Testis est Italia*, i. *Itali*. 2. Cum continens pro re contentâ. Virg. *Exhausit pateram* i. vinum. 3. Cùm locus pro re in loco peractâ. Cic. *Ne semper forum mediteris*. i. actiones forenses. 4. Cùm possessor ponitur pro re possessâ. Ter. *Te assiduè exedent*, id est bona tua.

Metonymia adjuncti est, cùm nomen adjuncti ponitur pro subjecto. Ejus modi sunt tres. 1. Cùm nomina virtutū & vitiorū usurpantur

pantur pro viris bonis & malis. *Ter.* *Ubi e* *ſcelus qui me perdidit*, i. ſceleſtus *Davus*? *Peſti* pro homine peſtilenti. 2. Cùm ſignum pre re ſignificatâ: *Faſces* pro magiſtratu, *Toga* pre pace. 3. Cum tempus ponitur pro hominibu illius temporis, ut *O perditum ſeculum.* id eſt hujus ſeculi homines.

Ironia eſt, cum contrarium pro contrario ponitur. Ter. *Heus bone vir, corâſti probè.*

Hoc ſpectat *Paralipſis*, Cum fingimus nos præterire quod maxime narratum volumus. Virg. *Quid referam infandas cædes? quid facta tyranni Effera?*

Metaphora eſt, cum ſimile ad ſignificandi ſimile transfertur. Cic. *Honos alit artes, omneſque accenduntur ad ſtudia gloriâ.* Idem. *Ut Sementem feceris, ita metes.*

Synecdoche, eſt cum pars pro toto ponitur aut contrá. Eſtque quadruplex, *Membri*, *Integri*, *Speciei*, *Generis.*

Synecdoche membri eſt, cum membrum ponitur pro integro, *Tectum* pro domo.

Synecdoche integre eſt, cum integrum ponitur pro membro, Virg. *Aut Araxim Parthus bibet* Id. eſt partem Araris.

Synecdoche ſpeciei eſt, cum vox ſpecialis pro generali ponitur, *Auſter* pro vento. *Cat* pro viro gravi & prudenti. Item *ſexcenta* id eſt multa: ſingularis pro plurali. Liv. *Romanus prælio victor* id eſt Romani.

Synecdoche generis eſt, cum vox genera-

lis

lis pro ſpeciali ponitur, Poëta pro Homero: Orator pro *Cicerone* (hæc vulgò *Antonomaſia* dicitur) Item pluralis pro ſingulari. Cic. *Nos populo impoſuimus*, id eſt, ego.

Præcipuæ affectiones tropi ſunt 4. *Catachreſis*, *Allegoria*, *Metalepſis*, *Hyperbole*.

Catachreſis eſt tropus durus & inimis improprius: *Sperare* pro timere. Virg.

Hunc ego ſi potui tantum ſperare dolorem.

Allegoria eſt continuatio plurium troporum ejuſdem generis. *Virtus eſt una altiſſimis defixa radicibus, quæ nunquam vi labefactari poteſt. nunquam demoveri loco.* Quinque ſunt Metaphoræ. Ubi obſervandum eſt tranſlationem ſumi debere ab eodem genere rerum.

Hyperbole eſt tropus multiplex. Virg. *Pontem indignatus Araxes.*

Metalepſis eſt tropus multiplex in unâ voce. ut *Cæca nox.* Cæcus pro non vidente eſt Synecdoche ſpeciei. Et non videns pro eo quod faciat non videre eſt Metonymia effecti.

DE FIGURIS.

TRopus eſt immutatio ſignificationis in ſingulis vocibus. Figura eſt immutatio habitûs ipſius orationis. Eſtque dictionis vel ſententiæ.

Principes figuræ dictionis ſunt 7. *Epizeuxis*, *Anadiploſis Epanalepſis*, *Anaphora*, *Epiſtrophe*, *Polyptoton*, *Paroniomaſia*.

Epizeuxis eſt, cum idem ſonus continue iteratur in eadem ſententia. Cic. P. *Scipio Carthaginem*

thaginem obſeſſam, oppugnatam, labefactatam ſolu, vertit. Virg. *Me, me, (adſum qui feci) in me convertite ferrum, O Rutuli.*

Anadiplçſis eſt vox repetita in fine præcedentis & initio ſequentis ſententiæ Virg.

Sequitur pulcherrimus Aſtur,
Aſtur equo fidens.

Anadiploſis, ſi pluribus gradibus continuatur, Climax dicitur. Cic *Illis & quod libet licet, & quod licet poſſunt, & quod poſſunt audent & quod audent faciunt.*

Epanalepſis eſt idem ſonus iteratus in principio & clauſulà Cic. *Saluti potiùs conſulam, quam voluntati.* Virg.

Multa ſuper Priamo rogitans, ſuper Hectore multa.

Anaphora eſt iteratio ejuſdem ſoni in principiis ſententiarum. Cic. *Solicitam mihi civitatem ſuſpicione, ſuſpenſam metu, perturbatam ſeditionibus tradidiſtis.* Virg.

Pan primus calamos cerâ conjungere binos
Inſtituit: Pan curat oves, ovium que magiſtros.

Epiſtrophe eſt, repetitio ejuſdem ſoni in clauſulis. Cic. *Ejus voluntati cives aſſenſerunt: ſocij obtemperarunt, hoſtes obedierunt.* Id. *Quis eos poſtulavit? Appius. Quis produxit? Appius.* In quo exemplo Anaphora cum Epiſtrophe complicatur.

Polyptoton eſt cum eadem vox in diverſis caſibus repetitur. Virg

Littora littoribus contraria, fluctibus undas
Imprecor; arma armis.....

Paro

Paronomasia est, cùm voce leviter immutatâ mutatur significatio. Sen. *Nunquam satis dicitur, quod nunquam satis discitur.*

Figuræ quæ sententiam ipsam afficiunt præcipuæ sunt 4. *Exclamatio, Interrogatio, Apostrophe, Prosopopœïa.*

Exclamatio est sententiæ vehementia per adverbium exclamandi expressum vel subauditum figurata. Cic. *O stultos Camillos! O amentem Paulum! Rusticum Marium!*

Interrogatio est, cùm quod simpliciter affirmandum erat aut negandum, quæstione figuratur, *Quis hoc ferret?* i. nemo. *Quis hoc non videt?* i. omnes vident.

Apostrophe est orationis conversio ad personam alienam quàm instituta oratio requirit. Æn. *Esto tu sola testis, & hæc mihi terra precanti.*

Prosopopœïa est, cum personam alienam oratione nostrâ loquentem inducimus. Cic. *Patria tecum, Catilina, sic agit & loquitur.*

Nullum jam tot annos facinus existit nisi per te. Quamobrem discede, atque hunc mihi timorem eripe. Hæc si tecum patria loquatur, nonne impetrare debeat?

Interdum Prosopopœïa imperfecta est, qua oratio aliena obliquè repræsentatur, per modum infinitum pendentem à verbo *dico, loquor*, aut simile. Cæsar. *Missi sunt ab Helvetijs Legati qui dicerent, sibi in animo esse iter per provinciam facere: propterea quod iter nullum aliud haberent. Rogare ut ejus voluntate id sibi facere liceat.*

Prosopopœïa perfecta fuisset. Nobis in animo est iter per provinciam facere, quòd nullum aliud habeamus. Rogamus ut tua voluntate id nobis facere liceat.

FINIS.

SCOTLAND'S NATIONAL LIBRARY